IOANNIS
FRANCISCI
PICI MIRAN-
DVLAE DOMINI,
CONCORDIAEQVE
Comitis.

IN TERTIVM ARISTO-
TELIS DE ANIMA LIBRVM
EXTRACTA DIGRESSIO,
De Animæ
immortalitate.



PATAVII
Per Ioannem Baptiſt. Amycum.
M. D. LIII.

LVCAS BETTINVS FLORENTINVS PRAEDICATORIVS NICOLAO MICHELOTIO EIVSDEM religionis S. P. D.

LEGI His diebus
optime NICO-
LAE, oppido
q̃ libens, apud Io.
Franciſcum Picum
hunc noſtrum Mirandulæ Dominum,
Comitemq́; Concordiæ, literarum
omnium, ac tempeſtate (ut patrio
utar adagio) ceu monetæ publicum
ἐγχαστήριον de animi immortalitate di-
greſſionem, inter interpretandos
Ariſtotelis de anima libros non
minus docte, quàm eloquenter (ut

eius ſemper moris eſt) exaratam. Ex qua tanta ſum affectus animi uoluptate, quanta prius triſtitia fueram, qua ſatis diſcruciabar; cum quoſdam animaduerterem, noſtræ ætatis homines, apud uulgum plebeiorum Philoſophorum, ſapientiæ titulis euectos ad aſtra, & rei literariæ, hac in re, non mediocriter obfuiſſe, & ſe ipſos ſectatoresque non paucos, dediſſe præcipites. Nec mirum, horum enim eſt inſtitutum, commune ſanè pleriſque, qui ſe literis dedunt, ut nemmem arbitrentur ſapientiæ nomine dignum, niſi qui aut Ariſtotelis aut Auerrois aut paucorum ſuæ cuiuſq; ſectæ dumtaxat ſcripta, & ea quidem barbara, præ manibus ſemper

habuerit, atque utinam id tam fœliciter, quam impudenter, cum ſuam quiſque ſententiam, inſulſe quidem, ac non ſine magnis ampullis pro arbitrio ſæpenumero perſequatur, haudquaquam interpretis, ſed perinde atque alchimiæ addicti fungatur offitio. Quo circa uerius Philodoxi, quam Philoſophi, optimo iure ac merito, ſunt dicendi, ſeu magis uocaueris non τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονας ut eſt apud Platonem, ἀληθινοὺς φιλοσόφους horum quidam de animi immortalitate ita ſcripſerunt ex ſententia Ariſtotelis, ut ſatis hac una in re, ſuæ inſcitiæ periculum fecerint, ſi eorum ſcripta, cum Ariſtotele ipſo, ab eo diligentius atque exactius conferantur, qui & antiquos interpre-

tes, græcos præſertim & Plato-nem Platonicoſque non ignorauerit, ſine quibus qui Ariſtotelis philoſo-phiam ſe conſecutum putarit, non po teſt non indoctus eſſe. Morbo huic exitiali, occurrit noſter hic author, tanta diligentia, doctrinæ ubertate, ac prudentia; ut nihil uideatur, hac in re, de cætero, a quoquam poſſe deſiderari, nulluſque iam ſit eorum de-liramentis relictus locus, qui in philo ſophorum uulgo ſeipſos ueluti Nar-ciſos mirantur, qui in hoc uno dumta-xat ſapientes haberi poſſent, ſi ςησί-χορον emulati παλινῳδίαν canerent. Tu igitur mi Nicolae, hoc munuſculum grato animo accipe, quod tam & ſi exiguum uideatur, auro tamen & argento pretioſius iudicabis, ut qui

ex eius in medium prodeat ſinu, a quo nihil niſi perfectum ingenio, atque elaboratum induſtria, ſtudioſis ac doctis offertur: hanc eandem digreſſionem, & ſi ſcio, cum reliquis commentarijs quandoque edendam, iudicaui tamen ipſo etiam authore non renitente (cui ſemper publica commoda permaxime curæ ſint) ipſam per ſe ipſam, inſtar iuſti uoluminis, & debere & poſſe prius in lucem prodire. Vale Mirandulæ vij. Idus Iunias. M. D. XXIII.

EX COMMENTARIIS IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI

Concordiæq; comitis in Tertium Ariſtotelis de Anima,

LIBRVM EXTRACTA DIGRESSIO DE ANIMAE *immortalitate.*

LOCVS Ad quem peruentum eſt, nos admonere uidetur, ut de immortalitate animæ ab expoſitione Ariſtotelei contextus digredientes, diſſeramus: Et quid Ariſtoteles de ea ſenſerit eius diſcipulorum & interpretũ maximeq; græcorum authoritate ueſtigemus. Nam rationes & communes, & proprias, quibus animæ immortalitas adſtrui ſolet, contraq; illas, quibus a nonnullis conſueuit aſſeri mortalitas, pro diuerſa ingenij inclinatione, pro diuerſo ſtudio, diuerſoq; uſu interſtinguendi uocabula, hinc inde & labefactare multi tentant, & communire, Ac unuſquiſque aduerſariorum pro uirili ſatagit Ariſtotelem in ſuam ſententiam trahere q̃q̃ inuitum et reluctantem. Sed non hoc iter

Quid in hac digreſſione agendũ, et quo ordine.

uere ſyncereq́; philoſophandi, non modus requirendæ tenendæq́; ueritatis. Opere igitur pretium fortaſſis uidebor feciſſe, primum & rationes ipſas, quibus pleriq́; omnes conſueuere ſeorſum adſtruere animæ immortalitatem cogere in unum: et illas item, quibus ex aduerſo ſolet inferri mortalitas easq́; paucis retundere. Iſthæc enim tangere potius & ſubſignare, q̃ explicare par eſt: ne ſimul facta facere uidear, & præterire ſilentio quæ ab alijs in cõtrouerſiam ſunt adducta. Deinde Ariſtotelis uerba & eorum rationes atque authoritates philoſophorũ, qui magni fuere in peripatetica familia nominis moliemur in medium adducere, ut clarum ſit ijs, qui græce neſciunt, & extra omnem controuerſiam poſitam a ueteribus peripateticis, exiſtimatum Ariſtotelem de animæ immortalitate ſenſiſſe ſecus ac Alexander & Auerroys cenſuerint: ſubinde q̃ uarius uterque habeatur notũ faciam, Demum eorum qui uel Alexandrum uel ſe ipſos in aſſerenda mortalitate ſecuti ſunt, ſententias afferam, & locos indicabo, quibus moti ad contendendum ita ſenſiſſe Ariſtotelem atque ex eiſdem locis monſtrabo, ualidiſſima trahi ad animæ immortalitatem aſſerendam argumenta, ut ipſa eorum tela quibus immortalitatem oppugnant, in ſuam ipſorum mortalitatem retorqueantur. Sumuntur à diuerſis authoribus ad probandam immortalitatem animæ rationes, ex eleuatione eius, qua intelligimus poteſtatis, ex eo item q, ſatis conſtet animam perfici magis: non autem corrumpi, quo magis à corpore, eiusq́; functionibus elongatur ex operatione propria, quæ

Quid ĩ uniuersũ ſoleat afferri pro immortalitate aĩæ: &

naturam à qua ipſa manat probe indicet & manifeſtet, ex eo etiam q contemplctur ea quæ corruptioni minime ſunt obnoxia. Quod enim perficit, ei quod perficitur iuſta ratione aptatur, & congruit, q uniuerſalia cognoſcit a materia ſeiuncta, quo fieri aiũt ut non ſit innexa materiæ, ſi illa ipſa in ſe ſe queat admittere. q modo indiuiſibili ſupra materiam, ſupra omnem corpoream ſubſtantiam exaltato, cognitionẽ ſuſcipit, quopacto immaterialis & incorporea prorſus extra omnem controuerſiam decernatur. q ſeipſa nititur propriaque natura non corporis mole aut adminiculo freta. Ad hæc ſi anima immortalis non eſſet, homo eſſet miſerrimus omnium animantium. Iam appetitus naturæ non ad ſeculum inſtans uerum ad omnia pariter ſecula atque ad ipſam penitus æternitatem quæſitam concupitamq; protentus, inaniter planè fruſtraq; homini fuiſſet ingenitus, ſi ea, quam appetit immortalitate careret. Nec bonum ipſum omnis fons boni, tanto ſtudio tanquam irrequieta uoluntate appeteretur ab ea, ſi mortalis, & caducæ naturæ limites non eſſet egreſſa: quæ nec ullã contrariam perpeti poteſt actionem, ut inde corruptio queat oboriri. Ipſi quoque animæ illud ineſſe nõtiſſimum eſt q ipſa in ſe omnia, quæ alioquin ſunt cõtraria ſuſcipit atque cognoſcit, eiuſque ſimplicis eſt indiuiduæq; naturæ, ut neque per ſe, neque ex accidẽti posſit aboleri. Nec illi ipſi aut à ſua eſſentia, aut à ſui ſubiecti natura, a qua ſcilicet non dependet imminere poteſt mors. Quandoquidem à corpore nõ pendet quod uidelicet informat, cui motum, uitam, ſen=

q rationabilius locuti ſint quì pro ea q contra eã diſputauerint.

ſumque largitur. Immo eſt uita cui ſuopte ingenio repugnat interitus. Praeterea nequit, principii cauſaeue à qua duxit originem uel debelitate uel labe perire, quando aeterna eius cauſa ſeu mauis dicere principium aeternum eſt. Illud etiam maximo ducitur argumento quòd ſupra ſe ipſam reflectitur mens, ſeq; ipſam agnoſcit intrinſecus, nullo extrinſecus organo adiuta tanq̃ intermedio, tum q; habetur perfecta magis, quo magis ſe ſe à corporeis nexibus & organis abſoluerit, quodq; nulli obligata rei ſit ſenſualiũ formarũ inſtar, ſed libere operetur ſuarũ prorſus actionũ regina, nullis corporeis rebus addicta, nullis prorſus obnoxia. Haec à multis magniſq; uiris pertractata, & à me ipſo etiã non nihil cum in libris de morte Chriſti et propria cogitanda, tum alibi, nec ad praeſens reuoluerim diligentius, neque prolixioribus argumentationibus inſinuauerim. Neque id etiã quod magni eſt apud me momenti, libenter hoc loco explicuerim, q; non ſolum ſe ſe ipſam cognoſcit anima ſed cognoſcit & corpus, quod ſcilicet informat: ex qua cognitione colligi poteſt, ut ipſi corpori non ſit immixta: quandoquidem quod cognoſcit à natura ipſius quod tantummodo cognoſcitur nòn cognoſcit eleuatum, denudatum, ſuopteq; ingenio diuerſum eſt. ergo alia res, & prorſus abiuncta, quoniam ſe à corpore abſolutam ita cognoſcit, ut de eo poßit pro arbitrio ſtatuere, atque illud à ſe eſſe diuerſum & cõſiderare queat, & prae utilitate atque corruptione, cui obnoxium eſt, ſaepe contemnere. Verum enim uero falſae imaginationes multae, quae tamen non uſque

quaque & omnino improbabiles quibuſdam uideantur, ueris iis poſſunt imaginationibus obijci; atque hinc rationes rationibus contra ſtatui. Notum enim apud neotericos, nonnullas eorum quæ tetigimus rationes, conatum Scotum in quarto commentariorum in theologicas ſententias diſſoluere, q̃q̃ reficere & inſtaurare illas multi curauerunt, & inſtaurari & refici illas ipſas, & ceteras etiam, quas alij labefactare conentur, non ſit omnino difficile, ſed & authoritates philoſophorum authoritatibus opponi queunt. Scribit Porphyrius & apud Peripateticos inſignis expoſitor Ariſtotelis habitus, & a Seuerino Boetio in logicis de interpretatione commentarijs, magnopere obſeruatus, et inter Platonicos tantæ authoritatis ut philoſophus per excellentiam nuncuparetur, ſcribit inquam ad Boethum conueniſſe homines in aſſerenda animæ immortalitate, & rationes ad id allatas à philoſophis fuiſſe, quas alij conentur refutare. Ipſe uero Porphyrius in libro de cauſis, quæ ad intelligibilia conducunt, immortalem animam arbitratur, adeoq; in hanc propenſus fuit ſententiam, ut in libro de abſtinentia et de animalibus tertio, & rõnales & immortales eorũ brutorũ non abnuerit animas, quæ & ſenſu & memoria pollerẽt: quod etiam Numenius exiſtimauit: Certe ipſe Numenius & Platonicorũ quidam, irrationalium animas immortales putauerunt. Sed hæc mittamus platonica: nec item afferamus quæ ſolẽt uulgo etiam eſſe cognita, nec item narremus illa celebratisſima de motu animæ ſemet agitantis, atque ita dixerim, reuoluentis circulo: quoniã

Io. Scotus

Porphyrius.

Numen.

Theophraſtus. multis non ſaperent, quæ tamen non ſolum peripateticis antiquis, Theophraſto & ſectatoribus no ſ diſplicuerunt, ſed Alberto cognomento Magno, adeo

Albertus magnus. fuere grata, ut paucis mutatis, fortisſimæ demonſtrationis nomine honorauerint in libro de animæ origine, & ante eum Philopono tam magno æſtimata, in

Philoponus. commentarijs in primum Ariſtotelis de anima, ut demonſtrationem in ſe colligere tentauerit, hanc, ſcilicet, quam latinis uocabulis ex græco uerbum uerbo

Nota. reddētes exſcribimus. Anima eſt per ſe mobilis, quod per ſe mobile ſemper mobile, hoc aūt eſt immortale,

Themiſt. immortalis igitur eſt anima, ſed & Temiſtius q̃q̃ ei non placet motum animæ conuenire tamen Ariſtotelem ferè idem dicere exiſtimat, ſi loco actus accipere motum uelit, & alias quoque Plato ıis rationes Ariſtoteleis rationibus conuenire, & congruere putat, atque eis maxime, quas Ariſtoteles complexus eſt in Eudemo (is autem eſt de anima Dialogus) cuius nō ſolum ipſe Themiſtius in Paraphraſi, ſed in axpoſi-

Siplicius. tionibus etiam Simplicius meminit, ut non omnino humeris hominum onus importabile ſuſcepiſſe Ioan-

Io.Picus. nem Picum Patruum, dum hac etiam in re Platonis: & Ariſtotelis concordiam polliceretur, posſimus aduertere. Nec afferam rationes ex iuſtitia diuina explicatas alibi. Nec item diuinorum eloquiorum teſtimonia, & eorum qui reuixere; & poſt obitum tulere opem uiuis hominibus experimenta, quibus tamen utitur experimentis tanquam uerisſimis, Ariſtoteles ad probandam animæ immortalitatem quantum attinet ad allatam opem, & reuelationes poſt obitum.

Sed quoniam liber Ariſtoteleus ille in quo hæc ſcribuntur minoris authoritatis duci poſſet, q̃ ut ullo modo præiudicium iis qui contra ſentiunt afferret, parcam labori: nam ſub Theologiæ nomine, ſiue myſticæ philoſophiæ ſecundum ægyptios, publicum arripuit: & pythagorica refert & celebrat dogmata nec tamen ſub hoc titulo ab iis qui antiquitus libros Ariſtotelis recenſuerunt redactus in numerum eſt. Nec Iamblichus, qui loca citat Ariſtotelis ex opere de ſecta pythagorica, ut alibi rettulimus, aut huius meminit uoluminis: aut in ipſo illa reperiuntur, propterea nec huius libri utar teſtimoniis, nec miraculorum nitar authoritati. Nam qui ex Euangelio animæ credit immortalitatem, illis non eget ut hoc loco repetantur, qui obaudit euangelio, & cruci Chriſti aduerſatur, uentremq́; ſibi Deum conſtituit, tam eum non decet ſacrum teſtimonium, q̃ male olentem ſuem precioſa margarita. Verũenimuero qui Theologis noſtris non acquieſcunt, Platoni ſaltem, Platoniciſq́; permultis, apud quos de immortalitate animæ, & rationes & authoritates habentur plurimæ, & experimenta, eorum qui reuixiſſe perhibentur, tantiſper audiant, dum abacta pertinacia diuini luminis euadant compotes, diſcantque rationes quæ pro mortalitate ſolent afferri, uel nullius, uel certe leuisſimi eſſe momenti. Sunt enim qui plures: ſunt qui paucio res afferant rationes: omnes tamen ut mihi uidetur, ad exiguum redigi numerum queunt, & non falſitate ſolum, ſed debilitate labant. Nam corpus adeo iunctum putant animæ, ut ſine eo ſe ſe exerce-

Liber myſticæ philoſophiæ Ariſto.

Nota.

Rões q̃ pro mortalitate adducuntur aïæ et paucas & debiles eſſe.

*re ipſa naqueat, & præcipue quantum ad id perti-
net, in quo maxime præcellit. Eximi enim illam di-
cunt omnino nequire, nec à ſubiecto, nec ab obiecto
corpore, quare nec ſine eo intelligere, nec ſine eo ſu-
perſtitem eſſe poſſe, aut decernunt, aut maxime ſuſpi-
cantur. Si uero ſoluta corporeo nexu fuerit, aut
tranſmigratione pythagorea rurſum reuerti illam,
aut ocio torpere autumant. Atque ita ad infinitum
numerum excurri per mundi æternitatem. partem
certe hominis ita rentur animam, ut propterea ſu-
perſtes eſſe pars nequeat, parte corrupta: propte-
rea ipſum totum uelint aboleri, exiſtimantq; adeo
illam unam eſſe cum corpore, ipſa in hominis con-
ſtitutione, ut cenſeant alterum ſi abiungatur ab al-
tero perire omnino ipſum, quod eſt homini eſſe, atq;
ita uel in numero formarum naturalium reponunt, ut
participatione dũtaxat immaterialem eſſe animam
naturali ratione probatum uelint: uel hanc ſaltem
opinionem probabiliorem ea qua ſolet immortalitas
aſſeri, contendere non grauantur. Hæc et ſi qua eiuſ-
modi ſpargunt, ut intellectum quo ipſa intelligit ani-
ma, aut mortalem penitus conſtituant cum Alexan-
dro, aut cum Auerroe omnibus in hominibus unicũ,
neutrum, autem horum uiſum apud me dignum eſt
unq̃quod ab homine & ingenio & doctrina præcel
lente decerneretur. Eos enim qui ita dicunt aut noſſe,
aut meminiſſe oportet, tales eſſe humanæ animæ pro-
prietates: ut ei nequeant inferiora conferri. Infor-
mat corruptibile corpus incorruptibilis ipſa, & ſu-
perſtes corpori, ut progreſſu late patebit: atq; ob*

Contra ipſas rationes mortalitatis aſſertrices, q̃ poſtea diſſoluentur.

id exercet

id exercet et cum corpore et ſiue corpore aliqua mu nia. Cum ſtirpibus cum brutis, cum ſuperis mentibus habet aliquid cõmune. Sed hoc illi maxime proprium eſt ut quo cætera participant, quo quo modo participet ipſa, & nihil ei tam omnino ſimile ſit. quod qui minus q̃ par eſt animaduerterunt, communionem ei quandam adſcripſere, & pártem hac, par tem illac raptarunt. At non ita fieri debet. Seorſum enim partes & earum propriam naturam, ſeorſum quod ex illis componitur partibus percipere animo & perpendere opus erat, poterantq; uel ex ipſo Ari ſtotele huius rei facile admoneri. Nam ſi ipſe in metaphyſicis ſyllabam ex a & b compoſitam, non a & b dixit eſſe, ſed: ab: hoc eſt compoſitum ipſum, non eſſe extrema, quanto magis in compoſitione mortalis immortaliſq; naturæ perpendenda erat utriuſq; partis, et eius quod ex illis componitur proprietas? Atque hinc etiam datur animaduertere nec mortalitatis, nec immortalitatis diuiſionem, quam nonnulli afferre conati ſunt, aut ſimpliciter aut quoquo modo ſati sfacere ad naturam animæ declarandam. Quæ enim ex ijs diſſultant animæ propria, & querenda ſunt, & deprehendenda: quod hac ipſa digreſſione pro uiribus moliemur. Nempe anima humana iuncta corpori uinculum habetur ſuperæ inferæque naturæ, et quædam cum ijs, quædam cum illis habet com munia, & tam quiddam proprium & peculiare poſſidet. Immo plura poſſidet, quæ illi proprie conueniunt ſuapte natura, nec ſunt ei cum cæteris planè commuuia, q̃q̃ proprium eius id accipi ſolet, quod in

Nota diligẽter mortalitatis aſſertor.

ea præclarius habetur, hoc eſt id quo ſuperis mentibus a materia ſeiunctis proxima ſit. Quare longißime falluntur qui ex proprietate formarum corruptibilium: naturam proprietateſque humanæ animæ ſe ſe exploratas, & compertas habuiſſe putauerunt. Aberant enim non ſecus: quin & longe magis, q̃ ſi ex terræ ante oculos poſitæ proprietatibus, ignis nunq̃ conſpecti proprietates, maxime inter ſublunaria mirabiles metirentur. Qui ex platano, quæ ſunt oleæ, qui ex urſo quæ ſunt leonis proprietates ſagacitate ingenij tanq̃ uenarentur, longe inquam magis, quoniã eæ ſub uno genere ſpecies inuicẽ cõferuntur. hæc uero plusq̃ genere diſtant, nimirum rationis & irrationalitatis nota. Diluuntur itaque omnia quæ obiecta ſunt facillime ex diuerſis conſiderationibus in medium allatis, diuerſiſque diſtinctionibus nullo labore refutãtur. Nam quantum pertinet ad colligationẽ ſubiecti obiectiq; corporei, ut propterea illi ſemper iuncta neceſſario ſit primum falluntur q. quæ ſub conditione & ſuppoſitione ab Ariſtotele allata ſunt ſine cõditione ſine ſuppoſitione percipiunt, quod paulo poſt hac ipſa digreßione clarißime patefiet. Deinde labuntur eo gradu quem ſupra ſignauimus, quoniam anima iuncta corpori id habet proprium in quo nulli rerum communicat inferiorum, ut & actione & natura ſeparari queat, & a ſubiecto, & ab obiecto corpore: ut clare cum rationibus, tum authoritatibus peripateticorum progreſſu fiet manifeſtum. Poterit itaque & intelligere proprio uſu manere, & ſuperſtes non ſolum eſſe poterit, ſed erit,

Diſſolutio reiectarũ rationũ quibus mortalitas aſſerebatur, & ad loca propria relegatio.

cum primum a corpore ſoluta fuerit, & reuertetur non pythagorea metempſychoſi ſed chriſtiana palin geneſia, non ociatura prorſus inaniter: ſed deum conſemplatura fœliciter, ſi bene in uita ægerit ſint minus affligetur penis, quod q̃q̃ fide tenemus: naturali tamen ratione non eſt, uti exiſtimant improbabile. Qua de re apud noſtros Theologos multa. Nam nec erit in infinitas animas abitio: redituras ad corpus, nec æternus ſed temporis initio conditus mundus: ut & alij & nos quoque alibi diſſeruimus. Nec abſurdum etiam præclarus quidam Arabs exiſtimauit, quod et a ſancto Thoma in Theologica ſumma relatum eſt, res a materia ſeiunctas quæ nec pendeant inuicem, nec loco nec tēpori obnoxiæ ſint eſſe poſſe infinitas. Quo ad uero pertinet ad partē, ea multiplex eſt. Eſt enim pars quæ perficitur & interit, eſt quæ perficit & ſuperſtes uiuit. Quæ quidem & conſideratur qua tenus eſt anima .i. forma, & uita corporis: & quatenus eſt eſſentia quædam, ſiue ſubſtantia intellectilis, qua corpus uiuificatur. In eoque rerum, ſeu mauis, entium gradu collocata eſt, ut nulla alia creata res, quæ non ſit anima humana, ſibi queat prorſus componi & æquari, cuius exiſtentia nonnulli ab eiuſdem eſſentia ſiue natura, diuerſam conſiderāt, ipſumq; eius eſſe, et in corpore et extra corpus perpendunt, et hoc et illud naturale uolunt eſſe animæ. q̃q̃ nonnulli malint, hoc magis q̃ illud naturæ appellatione donari. Alij contra ſentiunt, & alterum ut animæ, alterum ut ſubſtantiæ congruentius illi tribuendum arbitrentur. ac propterea in ipſa diſſolutione, totum quod hō

Tranſitus animarum regeneratio.

mini eſt eſſe, non abolebitur ſed in anima ſuperſtite manebit, iureq; & merito in formarum immaterialium numero habebitur, apta ad ſe ſe potius trahere corpus, cui uitam impartitur, q̃ a corpore trahi ſuapte natura caduco. Quare per ſe, nõ participatione, & a materia prorſus abiũcta eſt et immortalis, Quã longo diſcurſu docet Ariſtoteles de generatione animalium diſſerens non pendere a corpore quo ad originem pertinet, ſed illud θυράθεν ἐπεισιέναι hoc eſt extrinſecus introgredi, de rationali parte loquor, quam νοῦν ille nuncupat mentẽ uel intellectum interpretantur Latini. eundem uerbum νοῦν Ariſtoteles frequenter ducit in medium & ne de intellectu abiuncto prorſus a corpore quidam falſo uellent intelligi: idẽ ſe declarat author. Qui tertio de aĩa tex: 2 dum eius aperit eſſentiã, docet ſe περὶ μορίου hoc eſt de particula animæ diſputaturum. qua intelligit & prudens ſit, ut de coniuncto & intimo humanæ animæ non abiuncto & ſeparato ſe ſe diſſerere commonſtret. Idem νοῦς decimo nicomachiorum ponitur in homine & θεῖος hoc eſt diuinus aſſeritur. ipſumq; homini ὑπάρχειν hoc eſt ineſſe decernit: quo potiri hominem uoluit immortalitãte. atque ut eius utar uerbo ἀπαθανατίζειν ſed hac de re quid Ariſtoteles decreuerit, græcorumetiam Peripateticorum et rationibus et ſententijs; Paulopoſt clariſsimum fiet. Sat ſit paucis oſtendiſſe & origine & eſſentia, & actionibus indicatum ab Ariſtotele nõ eſſe animam rationalem corruptioni obnoxiam, Quam qui mortalitatis nomine ſuſpectam habuerunt, ne dum lata ſenten-

tia condemnarunt: ab ipſa naturæ lege uidentur recedere. Nunq̃ enim illa proprio intelligendi munere deſtituitur, ſiue corporeo utatur adminiculo, ſiue non utatur proprium illi intelligere cum phantaſmate uolunt, ut anima eſt, ſine phantaſmate, ut eſt ſubſtantia intellectilis, atque ita non pendere a corpore. Neque enim corpus eius eſt cauſa: q̃q̃ ei ad intelligendum miniſtrat phantaſmata. Abuſu enim magno ea res dependentia uocaretur, qua tanq̃ inſtrumento utitur id quod præcellit, & dominatur. Ergo & Alexander hominis partem, qua ſapimus, & cui potentiæ, ſiue poteſtatis intellectus appellatio facta eſt, impie ſanxit interire cum corpore, & Auerroys quoque ſectatores impie eandem partem unicam, q̃q̃ immortalem omnibus in hominibus arbitrati. Ita enim quod maxime proprium eſt hominis: morte aboleretur, Neque enim aut ea parte unica eſſemus homines aut ea quoq; parte intelligeremus, ſed illa ipſa mens abiũcta, uice noſtri & intelligeret, & iure diceretur intelligi: aut per eam formam ſi collocaremur in humana ſpecie, non plures eſſemus homines, ſed unus homo. Sed quoniam, uti ſupra dicebamus, uariæ conſiderationes diſtinctioneſque uariæ diſputatoribus anſam præbent, ut quiſque negocium exhibere aduerſario queat, ideo quid Ariſtoteles de animæ immortalitate ſenſerit ex eius maxime diſcipulis & ſectatoribus aſſeramus: poſtea eos qui ex Ariſtotelis uerbis mortalitatem inuehere ſunt adnixi non modo oſtendemus aberrare, ſed monſtrabimus inde trahi argumenta ualidiſſima ad aſſerendam animæ immortalita

Quid deinceps agendum.

tem.longeq; uero ſimilius haberi immortalem animã eſſe ab Ariſtotele exiſtimatã. Nec quidem id moliar ut ex eo negotio putemus magnam fieri acceßionem noſtræ Chriſtianæ religioni, Quid enim illi cum Ariſtotele, qui quoad uixit cæcutiuit in ſuperſtitionum tenebris: & obambulauit in quodam quaſi Hippodromo rerum ſublunarium multiplici, ſinuatoque magis, q̃ ille apud Pindarum duodecies inflexus. Nos per noſtram religionem, & recta procedimus, & ſupercœleſtibus diuinæ ueritatis radijs illuſtramur: qua de re, ſi deus annuerit, dicatis uoluminibus ſcripturi ſumus. Sed quod nunc inſtat exequamur. Primum omnium ſatis conſtat Ariſtotelem in primo de anima libro propriam definitionem attuliſſe in uniuerſum, & alienas reprobaſſe. In ſecundo de poteſtatibus eius ſenſilibus diſſeruiſſe. In tertio diſputaſſe de intellectrici poteſtate. Cuius quaſi in ueſtibulo, ſi diuiſionem eã librorum ſequamur, quam inter initia conſtituimus, ui unici uerbi immortalitatem cœpit aperire: cum ipſam intellectricem poteſtatem non partis, ſed particulæ id eſt græce μοϱίου appellatiõe citarit. Si enim partem uocaſſet abiunctam aliqui partem ſuſpicari potuiſſent. Celebre enim illud de partibus animæ, non de particulis etiam ante Ariſtotelẽ diſcrimen, quando partem aliam præcordijs, aliam capiti, aliam alij mẽbro quidam aßignauere diſcluſam: qui lapſus facile non committitur in nomine particulæ, ut quæ inhærere ſoleat, non diſcluſa conſiſtere. Cuius rei inter huius cõmentarij principia meminimus. Verũ quoniã particula ea dixerat animã intelligere, & pru-

Quid Ariſtoteles de animæ immortalitate ſuorum etiam græcorum interpretum teſtimonio ſenſerit.

dentē fieri, et intellectus nomen multiplex habebatur,
de eo quo anima intelligit, & quem ante dixerat eſſe
particulā animæ ſe ſe diſputaturum affirmauit Ari=
ſtoteles per hæc uerba. Intellectū autem dico quo ra=
tiocinatur: & exiſtimat anima, ita græce λέγω δὲ
νοῦν ᾧ διανοεῖ ται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή. De=
inde ſpeciei ſuſceptorem eſſe intellectum monſtra=
uit, & q̄ a ſenſu differret cum mixtus non ſit, quod
placuit Anaxagoræ: ac propterea cognoſcere om=
nia poſſet, q̄ eſſet impatilis, q̄ ualidior intelligendo fie
ret, non laſſeſceret, & tabefieret inſtar ſenſus a re ſen Cōtra Ale
ſili uehementiori proſtratus: Iccirco ſeparabilis & xandrum.
eſſet, & haberetur. Hucuſq; græci peripateci omnes, Philopo=
quorū libros legerim, non aberrarunt. Solus Ale= nus.
xander Aphrodiſeus & ſe et alios fefellit, atque ut
inquit Philoponus tria illa uerba immixtum, impati
le, ſeparabile, ad aīæ immortalitatē aſſerendā ab Ari
ſtotele allata, tētauit corrūpere, qui q̄q̄ uarius in ani
mæ natura habetur a multis ut q in ſcriptis de ea cō=
mentarijs mortalē in queſtionibus naturalibus im=
mortalem aſſeruerit: nihilo tamen minus queſtiones
naturales non ipſius eſſe Alexandri exiſtimarunt ple
rique: & antiqui oēs expoſitores in eo mortalitatis
opinionē condemnarunt. Auerroys autē Alexandri
errorē dū metuit, imprudens tā magno decidit lapſu Contra
ut poſt eū ruerit magna Philoſophantiū multitudo, Auerroē.
quāquam uarius & ipſe habetur: & ſunt qui uelint
ab eo præter intellectū illum unicū, intellectricē ani=
mā immortalē aſſertā, qui an recte ſenſerint neſcio Il
lud certe ſcio, Theophraſti, et ſectatorū, prætereaq;

Simplicij expreſſam illã fuiſſe ſententiã, ut paulopoſt eorũ etiã uerbis oſtendemus. Cæterũ non adeo clare antiquiores illi peripatetici locuti ſunt, ut extra cõtrouerſiã ſimul aperirent animæ immortalitatẽ, ſimul reijcerent eos qui exiſtimaſſent mortalẽ. Varias enim & ipſi quẽadmodum et Ariſtoteles declarationes interpretationeſque perpeßi ſunt, eo tamẽ uſque ad aſſerendã immortalitatẽ propenſi omnes, ut etiam quibuſdã uenerit in ſuſpitionẽ, placuiſſe ipſis uti anima ſenſitrix, ſiue mauis dicere ſenſualis ab interitu uendicaretur, quod apud Themiſtium in ſecundo de anima libro manifeſto deprehenditur, nec a Thoma reiecti fuiſſent, ſi ſenſitricem animã, eſſentiam, non potentiam intellexiſſent. At poſterioribus ſæculis maius omnino ſtudiũ apud græcos in Ariſtotelis & Theophraſti ſententia, q̃ fieri clarisſime poſſet explananda: quibus proxime acceßit. S. Thomas in ſuis cõmentarijs, eo uero longe dißimilis, quod eorũ plurimi intellectum humanũ plenum formis uoluere: quod q̃q̃ noluit Alexander, Platonici tamen contendunt à ueteribus peripateticis non alieni, ut hac etiam in re paruũ negotium exhibitum fuiſſet Ioanni Pico patruo meo in conciliando Platone & Ariſtotele eo quoque dißimilis quod intellectus ille, qui extrinſecus aduenire dicitur, non partem animæ ſed diuiniorem ſubſtantiam eorũ nonnulli exiſtimarunt: Alij extrinſecus illud, ſiue de foris (ut dicitur uulgo) aduenire diuerſo modo ſunt interpretati: tantũ abeſt ut ſenſitricem extrinſecus aduenire, uti quidam autumarunt, plane decreuerint. Illud quoque diſcrimen q

Quid ĩter S. Tho. & antiquos expoſitores græcos ĩterſit. Io. Picus.

Græci

Græci illi celebres Ariſtotelis interpretes, alium intellectum à quo humanus illuſtraretur abiunctũ poſuere: & alium quoque ſupra collocarunt, à quo hic ipſe lumẽ acciperet, Quibus authoribus Ariſtotelis mentem magis cognitam fuiſſe q̃ Alexandro et Auerroi longe perſuaſiſſimum eſſe debet bonis iudicijs. Quãto enimuero ſimilius exiſtimari poteſt à Theophraſto ſententiam Ariſtotelis de anima, q̃q̃ multis offuſam tenebris, clarius multo ſynceriusq; perceptam, cum quo .ſ. deambulationum Myriadas ipſe confecit de animæ natura diſputans: q̃ ab Alexandro multis poſt Ariſtotelem & Theophraſtum ſæculis nato? q̃ ab Auerroe non longiſſime ſolum iuniore, ſed per traduces alienæ linguæ coinquinatos Ariſtotelea perdiſcenti? Itaque ut capiamus initium à Theophraſto, & Priſciano Lydo Theophraſti expoſitore, Themiſtioq;, tam Ariſtotelis q̃ Theophraſti hac in parte paraphraſte, particulatim bonos omnes Peripateticos, Hammonium, Philoponum, Simplicium, Sophonicum, Theodorum Metochitem, ex Ariſtotels ſententia immortalem humanam animam decreuiſſe monſtremus. Sed quoniam hæc ex intellectu deriuari ĩmortalitas dicitur, primo quid de intelluctu decreuerint aperiamus. Multiplicis intellectus apud Theophraſtum, Themiſtium, & Lydum eſt mentio: Siquidem Lydus intellectum humanum citat, & animalem nuncupat, qui ſit nec ut materia, nec ut ſenſus, ſed ut ſpecies, omniumq; ſpetierum ipſa ſua eſſentia comprehenſor, qui eatenus dicatur eſſe in potentia: quatenus, & ad ſeparatum perti-

Nota lector.

Multiplex ĩtellectus ap̃ Theophraſtum et Priſcianũ Lydũ, unde aĩæ colligatur immortalitas.

net intellectum, qui intelligibilibus iungitur, & ab eodem perficitur, comparaturq́; puræ tabellæ, non proprie ſed proporitone quadam. Siquidem in ſe illum uult habere, ſpecies & nihilominus perfici, à primo & ſeparato intellectu, quod ſi Auerroi fuiſſet cognitum, non tot puto ambages in quinta Tertij de Animo Commentarij particula refudiſſet, & aliud quiddam tabellam eſſe reſciſſet, nudatam formis, q̃ quod uiſus eſt uelle dicere, dum rettulit diſtinctionem actus ſimpliciter, & appoſitæ conditionis, qua res, quæ recipit receptæ rei naturam admittit. Nam rite intellecta poterant eo pertinuiſſe, ut diſceret intellectum habere ſuapte natura congenitas rationes: illuſtrari tamen, atque ita eum quodam modo pati uoluit, & ſic perfici, q̃q̃ & à ſe ipſo perficeretur, quatenus expergiſcitur, ſeq́; ad ſuperiorem conuertens intellectum cum quo iungitur tanquam perfectionem ſuſcipiat. Hæc de multiplici intellectu Theophraſti Lydiq́; ſententia, q̃q̃ & per intellectus quoque nomen totam uitam rationalẽ ab Ariſtotele & Theophraſto nuncupatam Lydus eſt author. Themiſtius intellectum ipſum potentiæ, quem ita ab intelligibilibus pati uoluit: ut perficeretur ab ſolueretur q́;, & quem neque corpus eſſe, neque corpore uti pro inſtrumento: dixerat, & affirmauerat locum & conceptaculum eſſe formarum, & ad animam tantum hominis pertinere, ad quam item pertineret agens intellectus, ita ut ipſos duos intellectus duas humani animi differentias exiſtimarit, atque hunc omnia facere, illum ipſum fieri omnia, amboſq́;

Cõtra Auerroem.

multiplex ĩtellectus apud Themiſtiũ unde aĩæ ĩmortalitas deducatur.

unam rem eſſe, modo formæ atque materiæ, quibus una res conſtituitur, pluribus aſſeuerauit. Deinde immortalem eſſe hominis animum, qui nihil ſit aliud q̃ homini eſſe, planè ſanxit, & intellectum agentem, quem cum intellectu potentiæ unum ſupra dixerat, hominem eſſe ex Ariſtotelis ſententia decreuit: non recordari autem homines poſt mortem, propter intellectum patibilem, communem atque permixtum: qui corrupto corpore aboleatur, nullo modo ſiluit: quem qui à poſſibili non dirimunt inextricabilibus laqueis inuoluntur. Eſt enim ille apud Themiſtium ſenſilis phantaſia, intellectus nomine donata, intellectus uero poßibilis, qui & potentiæ nomen habet, proprie eſt intellectus, non addictus organo, atq; ut hoc exprimeret clarius, à primo uſque uolumine & à ſecundo quoque nonnulla repetit: ut congruere quæ diſſeruerat in tertio commoſtraret, hoc eſt intellectum q̃q̃ immortalem, poſt mortem non reminiſci corrupto patibili intellectu, cuius utebatur miniſterio. Neque enim uiſu aut auditu proxime ad intelligendum utitur intellectus, ſed phantaſmate, quo deſtitutus eo modo non utitur, poſtea uero & Theophraſti meminit, & eorum confutat opiniones: qui ſecundum Ariſtotelem putauerant intellectum agentem aut Deum eſſe, aut propoſitiones cum Ariſtoteles clamauerit intellectum hominis diuinum & impatibilem eſſe, & eſſe partem animæ rationalis præſtantisſimam, ex cuius ſententia ſubinde colligit Ariſtotelem opinatum fuiſſe intellectum agentem aut aliquid noſtri eſſe, aut planè nos ipſos. Hactenus The-

miſtius, ac, ut mihi uidetur, clariſſime intellectũ agentem & in ipſa eſſe anima, & immortalem aſſeruit. Deinde uero ipſo de intellectu ſubambigit, ũnus an plures, eoque ſe ſe recipit, ut illuminans habeatur unus. Multi uero illuminati, & ſubinde illuminãtes, inſtar unici ſolis, & lucis, multos in obtutus diſtracte, & diſtribute. Proptereaq́; Ariſtotelem lumini comparaſſe intellectum, Platonem ſoli: quando intellectum & animum hominis Deo eſſe q̃ ſimilimum uolebát Plato: Nec abſurdum uideri debere docet, ſi omnes homines, qui ex actu & potentia conditi dicimur, ad unicum intellectum agentem referantur: ob communes prænotiones, ob mutuam intelligentiã ob diſciplinam atque doctrinã, Quæ uerba multis fuerunt erroris occaſio, non conſiderantibus quæ antea diſſeruerat de intellectu, & quæ poſtea dum intellectum potentiæ ex uerbis & ſententia Ariſtotelis impatibilem, immortalem, abiunctumq; decernit: abiunctum item eum qui agens eſt, & quidem magis, ac ſi quis inquit ſolem diceret magis ſeparatum eſſe q̃ lucem, patibilem uero intellectum, indiuiduum à corpore, inſeparabilem, & caducum aſſeruit, hoc eſt partem animi ſenſualẽ, in qua audacia, metus, ſpes, quod quoniam non perpenderunt, quidam philoſophantes exorbitarunt. Demum Theophraſtum citat docentem intellectum poteſtatis, ita eſſe abiunctum à corpore & impatibilem ſicut agens abiunctus eſt: ita & congenitum, ita de foris accedentẽ, quod non ita ſtatuendum monet, ut uere appoſitus inuectusque habeatur: ſed qui ſtatim ab ortu comprehendere

nos,complectique, ſoleat, patibilem uero intelle-
ctum potentiæ quoquo modo non abnuit, ſed ita ut
ad actum & perfectionem perueniat, atque cum
plura diſſeruiſſet ex Ariſtotelis & Theophraſti ſen
tentia, colligit aliud eſſe intellectum patibilem &
corruptibilem, quem illi communem uocant, &
corpore non abiunctum, aliud totum id quod ex
intellectu agente & intellectu potentiæ componi- Multiplex
tur, quod & ſeparatum a corpore & incorrupti- intellectus
bilem & ingenitum ſtatuunt. Hammonius multipli- ap̄ Hāmo-
cis & ipſe meminit intellectus, ſed modo longe di- nium unde
uerſo, in primo tamē intellectu inter eos conuenit.i. aīe immor
humano,qui et ſpecies formaue ſit,et ſpecierum quo- talitas aſ-
que ſuſceptilis qui quatenus eſt ſpecies, non ſit pote- ſeratur.
ſtate ſed actu,& quatenus poteſt ſuſcipere ſpecies:
rationes rerum in ſe non habeat: habere quidē om-
nium in ſe notiam uult, non expeditā tamen & exa-
ctam, ſed tanquam deſcriptionē ſeu mauis picturam
adumbratam σκιαγραφίαν ille ſua lingua nuncupa-
uit.Qua in re damnauit Alexandrū ꝙ tanquam ma-
teriam cogitarit intellectum priuatum formis: quan
do Ariſtoteles ipſe ſpecierum ſpeciē appellauerit ani
mam, ſecundā intellectus appellationē poſuit cū res
ipſas nouit, ſed actu non conſiderat. Tertiam quæ
& habitum ſimul,& actum aſciſcit,quēadmodum ijs
accidit qui quæ iam nouerunt: actu ipſo contēplan-
tur . Quarta apud eū eſt eius intellectus acceptio,
qui ſuperior immo ſupremus eſt omnium,& qui di-
ctus eſt deforis aduenire,de quo noluit ipſe ab Ari-
ſtotele hoc tertio libro mentionem haberi, ſed de eo

Sophonij opinio ſimilis Hammonij, diſſimilis ab utraq; Philoponi. Quid Philoponus de immortalitate ex Ariſt. ſnĩa ſenſerit.

qui eſt congenitus animæ, q̃q̃ animæ congenitum intellectum potentiæ, & aduenire extrinſecus Theophraſtus Themiſtiuſque, & dixerunt, & expoſuerunt. Plerique uero noluerunt. Nam præter Hãmonium de quo uerba fecimus, Sophonius etiam, cuius mentionẽ faciemus in progreſſu, abnuit deforis aduenire, Philoponus autẽ in hoc ipſo quem uolunt e foris accedere, ſiue e ianua hoſtioue (græce θύραθεν legitur) magnum iecit immortalitatis fundamentum. Id (ut iam diximus) in libro poſitum eſt ſecundo de generatione animaliũ: multa quoq; ex primo de partibus animaliũ ſumpſit, quos libros antecedere proxime libros de anima ſcribit. Ex quibus quicquid potuit collegit ad ipſam mortalitatem abolendam. Probat enim ex Ariſtotelis ſententia, animæ ſeparationem a corpore poſt eius interitum: fuiſſe docẽs uarias phyloſophorum de animæ ſeparatione ſententias: inter quas aliquæ extiterint quibus decretum, omnem animã ſeparari etiam irrationalem & naturalem, ſiue ſtirpicã: qua in re damnat Numenium tanq̃ Platonicis quibuſdã uerbis deceptum: contra uero Alexandrum exiſtimaſſe omnẽ animam inſeparabilẽ, & tentaſſe Ariſtotelis ſenſa diſtorquere ut ſibi ipſi uiderentur adſtipulari. Quod ideo non potuiſſe contendit, quoniã inter diuerſas de ſeparatione ſententias, ita inceſſerit medius Ariſtoteles, ut aliam animã ſeparabilem, aliam inſeparabilẽ monſtrauerit, in ipſo maxime de partibus animaliũ opere: & manifeſta quadã operatione uitali, unam quãque partẽ ſignari, & interſtingui aſſerueri: : per

quiſiueritque utrũ operationem hanc nominari animam oporteret, uel partẽ animæ uel non ſine animã, utpotẽ qui multã nouerit latitudinẽ, uel potius profunditatem animarũ. Item dum queſiuit utrũ de omni anima diſputare pertineret ad phyſicum, uel non de omni, ſed de quacũque, quæ non eſſet ſine materia, atque hinc aliquã ſeparabilem indicauit. Nam ſi de omni inquit Phyſicus diſputabit, et de intellectu. ſi de intellectu, utique de intelligibilibus, nã ſicuti ſenſilium ſenſus. & ita intellectiliũ intellectus. At de intellectilibus diſputare ad primũ pertinet Philoſophum: & rurſus eo in opere de affectionibus animæ uerba faciens, ira, cupidine, cæteris quoniã inſeparabilia ſunt a corpore propterea inquit ad phyſicũ pertinet contemplari de anima: quæ non eſt ſine materia, quo fit ut animã etiam a materia ſeiungi aliquando, & ſeparari plane perſpexerit. Primo quoque de anima uolumine intellectum uideri eſſentiam quandã, quæ non corrumperetur aſſeruit, quoniam id maxime contingeret obſcuritate ſenectutis. In ſecundo autem percunctatur an poteſtates eius animæ ipſæ ſint, an magis ipſius particulæ. de intellectu inquit & ſpeculatrici poteſtate, non adhuc eſſe manifeſtum: uiderique genus animæ aliud eſſe, & huic ſoli competere ut ſeparetur, tanq̃ perpetuum a corruptibili. At in tertio uolumine intellectum quo anima intelligit, & prudens eſt, non miſceri corpori cenſet. Rurſum cum de intellectus & ſenſus differentia diſſereret, docet ſenſum a uehementiori ſenſili affectum corrũpi, adeo ut minora ſenſilia non hauriat. Intellectum uero quo maio-

ra percipit ſublimioribus hauriendis magis idoneum reddi: & cauſam affert eam, ꝙ ſenſualis pars non ſine corpore, ſua exequitur munia. Intellectus *autem minime addictus & obligatus eſt corpori in contemplando: quem intellectum et impatibilem dixit, & ſeparabilem, & immortalem, non meminiſſe autem, quandoquidē minime patitur ut phantaſia.* Hæc *ex* Philopono *Germaniſsimo peripatetico, libenter duximus in medium ex græcis eius commentariis, partim interpretati, partim quaſi quadā paraphraſi colligentes, quæ & ad abolendam mortalitatē pertinent, & ex locis etiam adducta præcipuis, in quibus hac de re maxime diſputatur.* Nam *quæ ex alijs* Ariſtotelis *libris ſolent proferri, metaphyſicis, phyſicis, animalibus, de mundo ad* Alexandrum, *moralibus & alijs compluribus, etiam ſi ad rem faciant, uarias tamen interpretationes facilius ſuſcipiunt, q̃ ea quæ ſummuntur ex libris in quibus ex propoſito diſputat de animæ natura: quoniam aliena illa ex contextu non ita fulciuntur.* Sint *illa in exemplo ex moralibus libris, ad mortuos pertinere aduerſas res et proſperas coniunctorum hominum, ad quos nam queſo mortuos? niſi anima ſit immortalis? item illa, moriendum potius utpotè minus malum, q̃ agendū turpiter, & quo pacto minus malum? ſi anima cum ipſa quæ in ea ſita eſt uirtute aboleretur?* Quæ *tamen q̃q̃ clara ſunt, plerique uarijs gloſſematibus inepte corruperunt.* Sit *etiam illud in exemplo ex.xii.primæ* Philoſophiæ *particula.xvii.* Cum *enim dixiſſet* Ariſto. *nihil prohibere, quo minus intellectus ſuperſtes*

Nota ex quibus libris trahi conueniat qd Ariſt. de aīa exiſtimarit.

ſtes ſit. De intellectu Alexander adepto interpretatus eſt, Albertus adeptũ non eo modo cœpit, Auerroys de ſeparato, Sanctus Tho. de eo qui eſt pars animæ in ſecundo maxime cõtra gentes uolumine dictum rentur. Simplicius qui inter peripateticos magni magiſtri cognomine donatus eſt in primo de anima cõmentario, ſtatim fere mentionẽ facit rationalis animæ & participati intellectus, ab ea quam mediam dicit inter ſpecies & res confectas ab illis: ut ſe tota, communionem ad utrũque ſe habere ipſa demonſtret: fierique docet uti quod ſeparabile eſt, ſecundum aliquã eius ipſius actionem interdum complicetur ei a quo non ſeparetur, qui locus adſtipulatur plurimũ aliquibus ex neotericis Theologis, & illis quoque poteſt maxime aptari, qui aſſerunt animam, ut forma eſt, connotare actu, totum cuius eſt pars, ut ſupra dicebamus, ſiue coniunctionem ipſam partium actu, qua de cauſa ſuperſtes eſſe queat corpori per illam ipſam afformato. Cæterum non multo poſt Simplicius ita colligit, ſi: igitur ſecundum ſe ipſam incorporea, & immaterialis anima, tanq̃ corpori addicta & materiam conſequuta, non corrumpitur, maxime enim corrumperetur in ſenectute. Idem quoque mẽtem ſiue intellectum νοῦν ille reponit, arbitratur eſſe animam rationalem atque in commentario tertij libri de anima prodit ab Ariſtotele toto ipſo libri tertij decurſu uerba fieri de anima rationali, quam & intellectum uocet, & rationem, & in qua ſit & patiens & agens intellectus quem animæ eſſentialem et eſſe dicit, & ita probari ab Ariſtotele decernit, ut hinc facile de

Nota q̃ uariæ trahatur et multa ex p̃te corrũpatur Ariſt. ſentẽtia.

Quid ſimplicius de aĩæ ſenſerit immortalitate, et q̃ multiplicẽ intellectus mentionem fecerit.

prehendas quæ ſubobſcure Ariſtoteles nec clare admodum Theophraſtus, dixerant, paulatimq; non nihil luminis acceperant a Lydo atque Themiſtio, fuiſſe a Simplicio q̄q̄ aliud agente colluſtrata. Ad hæc ponit Simplicius alium intellectum anima meliorem, & participatum ab ea. Eſt enim (ut latine dicam quæ ille græce) proprius quidam in una quaque anima participatus intellectus, hunc meliorem quoque animæ ſubſtantia eſſe aſſerit, connatum tamen & unitum animæ. Alium præterea imparticipatum & ſeparatum intellectum animarum citat in primo de anima, quem dicit ſubſtantiam impartibilem, & optimam uitam, & ſummam operationem, & ipſum intellectile, atque intellectionem & mentem, & æternitatem, & perfectionem ſolam, & terminum, et cauſam omnium, quem quiſpiam poſſet intellectum agentem nuncupare, ut quidam etiam exiſtimarunt, quandoquidẽ Ariſtoteles putarit agentem intellectum eis ipſis prærogatiuis pollere. Ideoq; & nuncupauerunt Deum, ea Ariſtotelis ſententia male intellecta ſubornati: q̃ dictus eſſet intellectus agens omnia facere: quos non ſolum Hammonius reijcit docens, in his libris de Deo mentionem non fieri, ſed ipſe quoque Sophonius Paraphraſtes, Theologica non tractari in libris de anima aperte teſtatur: atque intellectum agentem docet ita omnia facere non ut omnia efficiat, quod ſolius eſt Dei, uerum ut intellectum poteſtatis omnium ſuſceptibilem efficiat: atque hoc pacto intelligibilia omnia non ſimpliciter abſolutoque (Sunt enim quædam ſuapte natura intelligibilia) ſed materialia & particu-

laria intelligibili modo ſuſcipiat: ſic & intellectum poteſtatis omnia fieri nõ eſſentia ſed ſpecie, quoniã ea ſuſcipit modo cognoſcibili. Idẽ ipſe Sophonius alijs hac in re & expoſitoribus, & ijs qui ſcripſere Paraphraſes, clarius omnino locutus, ſine controuerſia decernit, & poßibilem, & agentem intellectum partem eſſe animæ diuinißimam, non ſubſtantiam abiunctam, & ſeparatam, ſed in una eademque anima eſſe, atque eundem unicum animæ intellectum, docet modo ſuſcipere appellationem potentiæ anteq̃ exerceatur, modo habitus dum nõ contemplatur quod alioquin poſſet contemplari, modo actus dum ſpeculatur. Id autem bifariam. Nam ſi ſempiterna, & uniuerſalia, & diuina, ſpeculatiuus, ſi humana particularia actiuus ſeu practicus dicitur, diuerſis uidelicet muneribus & officijs, diuerſa ſortitus nomina. Hæc Sophonius, qui & rationes præterea ad aſſerendam animæ immortalitatem attulit, corrumpitur inquit aliquid: aut quia compoſitum ex materia et forma, aut quia incorporeum cum ſit, in corpore tamen eſt, uti figura in cæra, neutro autem modo intellectus, qui & a materia abſtractus & incorporeus, nec in ſubiecto, ſed in ſe ipſo firmatus eſt. Hanc ſententiam ſi recte coniector per ſua illa uerba, dant intelligere neoterici, eſſe intrinſecum, ſiue principium intrinſecum ſubſiſtens quod per ſui ipſius firmitatem Sophonius expreßit: ex qua nimirum firmitate apud eum colligitur neceſſario incorruptibilis, & ſempiternus intellectus, ut qui per ſe ſit actus non pendens a corpore, atque idem ſit, & poteſtate, & actu rationibus diuerſis, quæ

Quid Sophonius de aĩæ immortalitate decreuerit et q̃uo.

Interpretatio authoris.

ſupra ſunt explicatæ, nec deforis adueniat eo modò quo nonnulli ſunt uſi ipſum intellectum ſeparatam ſubſtantiam arbitrati, ſed in una & eadem ſit anima, & in uno ſingulisq; hominibus, & ab eo qui poteſtate eſt, perfectione diſſentiat. Ad *hæc nulla inquit poteſtas, quæ ſit in corpore collocata, eoq; obſita, poteſt in ſe ipſam ipſa conuerti. Simul enim cõuerteretur & corpus in quo eſt:* Nullum *autẽ corpus ſe ſibi ipſi aptare poteſt ſed neq; alteri, præterq̃ ſecũdũ ſuperficiẽ.* Intellectus *autẽ ipſe ad ſe ipſum cõuertitur ſe ipſum intuetur, de ſe ipſo q̃rit et pcunctatur.* Ipſe *ſe inuenit incorporeum, & ſine interritu, ꝗ ſi non ſemper ſe ſe intelligit, in cauſa eſſe arbitratur phantaſmata, ſine quibus nequit intelligere: unde etiam obrepit obliuio.* Alij *uero id ferunt acceptum cuidam quaſi dixeris familiaritati, qua magis extranea q̃ domeſtica q̃ri ſoleant.* Alij *mirum non eſſe exiſtimant, quandò etiam animæ opus altricis non perpendatur,* Priſcianes *uero* Lydus *intellectum ſemper agere demonſtrat, animam uero intellectu non ſemper uti, quoniã ad corpora uertitur.* Cæterum *in tertio quoque de anima* Theodorus Methochites, *ubi de ĩtellectu uerba fiunt, clarè ſanxit ibi* Ariſtotelẽ *non de ſupremo intellectu feciſſe uerba, non de uno .i. phantaſia, cui et patibilis intellectus fecere nomẽ, ſed de intellectu animæ .i. de parte rationali, quã in capite collocari* Plato *uoluit, & de qua* Ariſtoteles *queſierat num ſeparetur à corpore? & quam modo* νοῦν *.i. intellectum, modo* λόγον *hoc eſt rationem uocauit ad exprimendum efficacius eo loci intellectus nomine, ra-*

Cur ĩtellectus non ſemper ſe intelligit.

Quid Theodorus Methochites *de aĩæ immortalitate ex* Ariſtoteles *ſententia.*

tionem ſiue rationalem animæ partem ſignificari, quandoquidem intellectum dicit incorruptibilem, & partim ſeparabilem, partim non ſeparabilem ut ille græce ὅτι χωριστὸ ὅτι δ' οὔ: quaſi id clariſſime inſinuat quod Thomas, & alij poſteà expreſſerunt, quaſiq; ſubnotet, non ſubſtantia dum uiuimus ſed actione & officio ſeparabilem. Itaque ex ijs quæ monſtrauimus à nobiliſſimis peripateticis expreſſa in opinione Ariſtotelis de animæ immortalitate perpendenda, manifeſto comprehendere poſſumus q̃ longe aberrarint, & Alexander & Auerroys, & q̃ facile præberi potuerit anſa ijs qui ex noſtra religione arbitrari olim ſunt, ex Ariſtotelis ſententia animã haberi mortalem. Potuerunt.n. facile ex Alexandro qui arcem tum authoritatis in peripatetica familia tenebat, Ariſtotelem metiri: multo autem errore nunc inuoluuntur aſſeclæ Auerroys & Alexandri, qui ut ad rectam redeant eo libentius iſthæc rettulimus authorũ parcentes nominibus. Res enim taxandæ ſemper homines ſi fieri poteſt non tangendi, qui ſi minus reſipiſcere uoluerint, pudeat eos etiam ſi Chriſtiani non ſunt, non malle immortalitatem iam patefactam, & communi omnium penè gentium aſſenſu celebratam, ſyncera in luce credere, q̃ ex obſcuris philoſophorum puteis, & antris mortalitatem expiſcari. Si uero Chriſtiano cenſentur nomine, pudeat eos ſi homines colere uolunt, non malle cum Theophraſto, cum Themiſtio, cum Simplicio, cum Philopono, cum Sophronio, cum Theodoro Methochite, ſapere, q̃ cũ Auerroe, & Alexandro deſipere. Ex eis enim quæ

S. Thomas. Superiorum epilogus cõtra Alexand. & Auerr. & Sectatores.

cur ex noſtra religiõe antiquus multi diuerſe à S. Tho. interpretati ſunt Ariſt. ſententiam.

Amicorũ nominib. parcẽs uariæ opiniones taxãtur ueritatis gratia.

ſupra ſunt allata, duo potisſimum colligere poſſumus, primum q́, anima rationalis intellectum in ſe habet agentem & patientem, quæ ſint partes animæ de quibus agit Ariſtoteles *toto libri tertij decurſu, ut ex ipſa intellectus immortalitate colligatur immortalitas animæ, quã nec* Alexander *nec* Auerroys *negaſſent, ſi agentem ille: patientem hic intellectũ extra omnem controuerſiam partes humane animæ putauiſſent, Atq;* Auerroys *quidẽ (ut apparet ex quinta particula tertij de anima cõmentarij) animi dubius fuit, dum illa aſſereret quæ ſine ullo dubio, addo & ſine ulla, aut certe parua uerecundia, ſectatores eius tanq̃ certisſima diſſeminarunt, propterea eius opinionẽ quæ uulgata eſt de unico intellectu poteſtatis, non* Auerroi, *ſed ſectatoribus* Auerroys *ſupra tribuimus,* Secundum *colligere poſſumus duos intellectus anima intellectrici ſuperiores à* Theophaſto & Themiſtio *conſtitutos, & clarius omnino à* Simplicio, *qui eum qui participatur ab anima, intellectum poſuit, & eum qui non participetur, ut qui ſit ab ea longisſime ſuperexaltatus, qua in re non uſque quaque uidetur abhorrere a noſtræ religionis dogmate, in animæ natura & eius ſuperna illuſtratione declaranda: quandoquidem ſeparatã mentem* Angeli *nomine uocatã, humanæ aßiſtere animæ, eidemq; conſulere & ad fœlicitatem hortari credimus: Cuius illuſtrationibus ſæpe dum noſtræ proſpicit ſaluti participamus: hunc eſſe agentem intellectum forte uel de longinquo ſubodorarunt, ſicuti &* Marinus Platonicus *ut in digresſione de intellectus.*

Quo modo poſſent de longinquo trahi ſententiæ peripateticorũ antiquorum ad noſtræ dogmata.

agentis natura diximus, uel Dæmonium uel Angelũ existimauit. Exprimere enim uoluit eis nominibus naturam quandam inter Deum & hominẽ mediam, & apud Platonis aſſeclas etiam reperiuntur Angelorum nomina, ſed & Archangelorum quoque, Dæmones etiam bonos eorum nonnulli existimarunt, & bonum cuiuſque Dæmonem leges apud Proclum q̃q̃ Dæmonem omnẽ malum pſellus noſtræ conſentiens religioni decreuit. Sed de ijs alias. Deum autem multi intellectum agentem (ut uidimus) existimarunt. Sed nos Deum ipſum illuminantem omnia, omnibus proſpicientem, dubio procul & credimus & confitemur: quem forte imparticipatum uocauit intellectũ Simplicius ſupremæ excellentiæ & primæ dignitatis. Quando etiam Dionyſius noſtræ Theologiæ poſt Apoſtolos Doctor omnino primarius demitti ab eo lumen & circũuelatum ſuſcipi nõ abnuit, ut illud euangelicum non recenſeam, q̃ illuminat omnem hominem, & præterea illud Iacobi, q̃ à patre luminum perfecta dona deſcendunt. Atque huc forte, q̃q̃ non proxime, reſpicit illa Platonica, & Peripatetica comparatio, cuius & Themiſtius meminit, luminis uidelicet ſolisq; et unius intellectus illuminantis, & multorum intellectuũ illuminatorum ſubinde illuminantium. Sũmum quoque in anima quiddã & Auguſtinus & alij ex noſtra religione uiri doctiſſimi eſſe existimarunt, ut hinc mentem, & ſuperiorẽ portionem apud nonnullos, & etiam apicẽ mentis quandoque legas. Apud Simplicium item præter ea quæ diximus: inuenies ſummitatẽ mentis ab eo ἀκρότητα

religionis opinioua ria de agẽ te intellectu.

Cõtra gẽtes.

nuncuparam. Ad hæc noſtri cuſtodem Angelum il-luſtrare animam & a primo ortu aſsignatum cuſto-dem aſſeuerant: Simpl cius quoque de intellectu illo qui apud eum melior eſt anima, & participatus dici tur, non auulſus inquit eſt, ſed συμφυοῦσ quaſi dixe ris connatus & unitus, ipſius eſſentiæ: Nec hoc ab eo dogmate uidetur diſcedere quo planè recipitur, quod eſt ſummum inferioris generis, coniungi ſupe-rioris generis infimo qua propter humana anima in genere intelligentium ſubſtantiarum infima, ſui ſummitate mentis dicitur coniungi ſuperiori & par-ticipato ab ea intellectui, connatæq; ſubſtantiæ & in gradu ſuperiori collocatæ. Ipſum enim intellectũ uocat ſummitatem.i.ſua lingua ἀκρότητα, qua ſupe-rioribus iungi exiſtimat, ut hinc forte Arabes quidã adeptum intellectum, & poſtea ſuam coniunctionẽ cum ſeparata ſubſtantia ſomniauit Auerroys, quod merum fuiſſe ſomnium, ex ipſo met Simplicio ſi quis accuratius eius dogmata perpendere uelit, facillime coniectabitur. Nam q̃q̃ de ipſo intellectu plurima di-cit, & q; ab eo ipſo uelit πηγάζουν quaſi dixeris à fonte ſcaturire, uitas ſecundas, quod nõnulli q̃q̃ Sim-plicium non legerint ſenſiſſe quoque Auerroem au-tumant, moti quibuſdam locis cõmentariorũ ipſius. Volunt enim animã ſenſualem fieri ab intelligentia agente, & extrinſecus à motore multa iactantes, quo-rum ſententiam q̃q̃ hoc loco non improbo, illud cer-te non probo ibi allatum, q; ſenſualis poteſtas dica-tur uenire deforis, quando nec intellectiuam extrin-ſecus eo modo uenire uoluerint Hammonius expoſi-

tor,

tor, & Sophonius Paraphraſtes Ariſtotelis quanto minus ſenſualem & illud deforis alio modo q̃ conſueuerint alij Theophraſtus expreſſerit. Sed uero ſimilius exiſtimauerim eo premi modo. Secundum Simplicium uitas ſecundas ab intellectu: quo modo dicuntur quæ ima ſunt in aliquo genere: puta uitæ, aut formæ, pendere ab ijs quæ prima & præcipua ſunt in illo genere. ita ego ſenſum Simplicij interpretatus fuerim: qui ſemper de anima humana loquutũ Ariſtotelem affirmat: In eaq; & patiens principium ponit & agens quod cauſa ſit eorum quæ fiunt: & ſeipſum intelligere poſſit quod ſeparabile ſit, & ſimplex, & expers αξωιασ hoc eſt, ſi per linguam latinam dicere liceret, in uitalitatis, & paulopoſt hæc ſubiecit, quæ uerbum red lentes uerbo transferimus, quod enim de anima, & non de participato ab ipſa intellectu, neque etiã magis de eo qui non participatur, ſed de anima noſtra & iam memoratũ nobis eſt, & etiam ex multis utique quis intelliget: quo modo enim poteſtate? uel quo modo aliquando non intelligere? uel aliquando ſeparari? & paulopoſt qualem nam inquit dubitationem haberet cur non reminiſceremur, ſi de perpetuis intellectibus & q̃ nos melioribus loqueretur? quo in loco Simplicius uidetur Themiſtium declarare. Sic enim à poſterioribus erga priores agi conſueuit, intellectum illũ Themiſtij agẽtem, atque intellectum potentiæ, non eſſe ſubſtantias ab anima abiunctas, ſed ipſa in animæ eſſentia à prima origine conſtitutas. Verum quoniam multi hæc aut non nouerunt, ignoratione græcæ linguæ, aut ſi

Interpretatio ſenſus Siplicij.

Verba Sĩplicij trãslata.

Quod Simplicius Themiſtiũ declaret. q̃ uideantur nõnul

lis ex Ari ſto. immortalitatem oppugnare, ea contra mortalitatē retorqueri.

nouerint hæſere tamen adeo tenaciter, aut Alexandreæ, aut ſuæ ipſorum opinioni, ut inde non facile queant auelli, diſpiciamus quid nam ſit illud Ariſtoteleum quo uiſum illis ſit probari mortalitatem, idq; non diſſoluamus modo, ſed tanq̃ hoſtile telum, in nos ab hoſte miſſum, in hoſtē ipſi retorqueamus. Occurrit ante omnia Ariſtotelea illa ſententia primo de anima uolumine collocata, qua decernitur animam ſi proprium habet opus, quod non ſit ei cōmune: cum corpore, contingere ut ſeparetur, ſi non habet, minime. Quæ quidē ſententia, q̃q̃ mihi non uidetur eiuſmodi ut magni ſit momenti ad mortalitatem uel immortalitatem (ut plerique cenſent) comprobandā, tamen quia non defuerunt, qui aboleri eam cum corpore ea de cauſa uoluerint ab Ariſtotele exiſtimatū: cum intelligere ipſius animæ dicatur eſſe, non ſine corpore, nec ſine phantaſmate: oſtenſuri ſumus primum, q̃ locus non eſt idoneus ad quæſtionem hanc in alterutram partem aſſerendam: deinde ſi fundamentum ibi ſit aliquod, cui quicq̃ ſuperſtrui queat: id immortalitati cōſtruendæ maxime ſubſterni. Fuere inter peripateticos qui id ipſum ab Ariſtotele ꝓlatum exiſtimarint ea ſolum de cauſa, ut oſtenderet animam non extitiſſe anteq̃ corpus caducum informaret: quod Pythagorei, Platoniciq; aſſeuerabant, nec aliud ex hypotheticis illis enthymematibus colligere uoluiſſe Ariſtotelem idq; ex Philoponi Commētarijs haberi poteſt. Fuere & qui argumentationibus ipſis nihil ineſſe uirium putauerint, etiam ſi ad immortalem uitam quæ poſt mortem hominis eſt,

Quod multiplex opinio eius Ariſt. propoſitionis ſi ꝓpriū hēt opus.

Philopo.

reſpexiſſe uelint Ariſtotelem. Eſt enim conſideranti facile percipere, & ibi quicq̃ non aſſeuerari ſed ex hypotheſi procedi, ſi particula intermedia: & connexum ipſum ab alijs dici probabile, ab alijs poßibile & contingens, non autem neceſſarium, ab alijs uero in uocabulis poſitum æqualis momenti, cum id quod eſt ſeparatum eſſe poſſe, & proprium eſſe: uelint inter ſe reciprocari atque conuerti. Ab alijs uero creditum Ariſtotelem non argumentari, ſed medium quo posſit trahi argumentum ſeparationis, nomine proprij operis patefacere. Alio item modo ſumitur, ut non unum ſed duo ſint connexa, per ſe ſe ueritate nitentia, non argumentandi, & in alterutram diſſerendi partem uice propoſita: Atque ita uno modo Themiſtius, & poſt Themiſtium Auerroys. Alio Egidius. Alio alij conantur Ariſtotelem uendicare à calumnia, quandoquidem (ut aiunt) à deſtructione antecedentis propoſitionis, ad deſtructionem conſequentis argumentatur. Sunt qui minime quidem hoc pacto diſputari: ſed ueritatem opinantur aperiri: quæ in tertio lib. ex proprijs animæ operibus expli cetur: Cæterũ ſparſæ eo loci argumentatiões mul tæ ſunt cum hac ipſa, quæ tamen ibi neutiq̃ diſcutiun tur, nedum abſoluuntur & decernuntur. Atque ad augendam etiam difficultatem de animæ natura diſſerendi poſita ibidem quæpiam ſunt adeo ambigua, ut obſcuritate multa inuolucrisq́; tegantur: quæ nihilominus ſecundo eiuſdem operis uolumine, & tertio ſine dubio citantur, & clarisſime euoluta ſplendeſcunt. Nam phantaſiam quam antea dubitarat, num

Themiſt. Auerrois Egidius. Alij.

differret ab intellectu in opere procedente differre omnino cenſuit, ſub dubio etiam quod poſitum uidebatur, num proprium opus haberet anima? & ſub conditione repoſitum exiſtimabatur, uti aliquam de anima conſiderationem ad phyſicum pertinere colligeret, proprium tamen opus habere, et tum ſatis innuit, & in ſecundo inſinuauit, dum docuit aliquas animæ partes, quæ ſint actus corporis non ſeparari, ut intellectum ab eis diſtare monſtraret, quem in tertio prorſus aſſeruit, nec habere organum ſubiectumq́; corporeum aliquod cuius actus ſit eiq́; ipſi permiſceatur, neque fieri calidum aut frigidum, quēadmodum eæ res quæ corporeis addictæ ſunt organis. Vnde nec per ſe neque ex accidenti poteſtatem intellectricem eſſe uoluit in corpore: quatenus anima eſt forma corporis, cum intellectus non habeat corporeum aut ſubiectum aut organum. Atque hinc ex Platone docet Themiſtius, intellectum non habitare in corpore, niſi intermediis aīæ particulis aliis, & poteſtatibus. At inquies cur tam ſubtili diſputatione multi proprium animæ opus & commune diſtinguunt? cum id ex Ariſtotele ſatis perſpiciatur aſſerente ipſum intelligere maxime asſimulari proprio, idq́; ad organum, ad rem obiectam, ad partem primo operantem & elicientem opus referunt, & inter operationem & operantem animam diſcrimen adducunt, ut inde monſtretur Ariſtotelem inclinatū fuiſſe ad opinandum, non ſeparari animam quæ proprium non habeat opus, quod non ſit ei commune cū corpore. Affirmant. n. id quod ſub conditione in pri-

Dubitatio ſiue obiectio.

mo poſuerat libro. In tertio ſine ulla conditione repe
tiiſſe. Ego uero primum id afferam. fuiſſe inter nobi Multiplex
les peripateticos, qui non ſolum conditionem ſed cō- reſpōſio ſi
nexi etiam ſint aperte cauſati: ſiue id connexum, ſeu ue ſolutio
conſecutionem dicere mauis ſiue conſequentiā, quod
uocabulum non modo nunc frequentiſſimum apud
Iuniores dialecticos, ſed quandoque etiam Iurecon-
ſultis in uſu fuiſſe & digeſtorum libris colligitur,
cauſati inquam ſint connexum ipſum, ſiue conſequen
tiam hanc, ſi proprium habet anima opus ſeparabi-
lis eſt, quandoquidem Themiſtius obijcit oculum, &
manum, quæ & propria habent opera & minime
ſunt ſeparabilia: atque ita obijcit, animi dubius, ut Themiſtij
litigioſam & controuerſam quæſtionem ſit arbitra- ſolutio.
tus: nam non ita propria ſunt ut ſine reliquis mem-
bris exerceantur. Id enim uoluit intelligi quando,
quod maius habetur, intellectum dum anima corpo-
ri iuncta eſt, ſine miniſterio aliquo corporis non ſo-
lere intelligere per receptam in Lycio regulam non
ignorabat quare qui mirantur eam ab ipſo non ſolu
tam quæſtionem deſinant mirari: cum ea quæ obie-
cit ita diſſoluiſſe uideatur, ut oſtenderit connexū mi-
nime neceſſarium. At omnino neceſſarium illud ui-
ſum eſt, ſi proprium non habet opus, non ſeparari,
quapropter neceſſe non erat aliam ſolutionem medi-
tari. Simplicius (ut mihi quidem uidetur) ſubtilius Simplicij
hanc rem & diligentius excuſſit, nā q̃q̃ oculi & ipſe ſolutio.
ingeſſit exemplum, tamen inde collegit proprium nō
eſſe id quod ſeparabile, quæ tamen inter ſe conuerti
plurimi exiſtimant. Proprium enim inquit oculo ui

dere,non tamen ſine toto,ut non ſolum regulam illã, de qua ſupra locuti ſumus,uideatur agnouiſſe,ſed in de uoluiſſe elicere ex proprio illo opere ſeparatio= nem non eſſe ſtatuendam Illud quoq; adiecit guberna torẽ nauis inſeparabiles habere operationes,et ſepa rabilem eſſe ſecundũ eſſentiã: ut poſſet inde colligi, non prohiberi,quominus id quod ſeparabile eſt, & ſeparatum ſit,ſuapte natura, quapiam tamen actio= ne complicetur ei à quo non ſepararetur. Mibi au= tem nec illa connexa à nonnullis allata uidentur ſoli, d[illegible]baſ[illegible]niti, ſi proprium non habet opus non ſepa= ratur, ſi non eſt ſine phantaſmate, non contingit ut ſeparatur. Nec ſolum quia primum ſub conditio= ne, ut diximus, et ſuppoſitione prolatum fuerit, ut poté qua non materiæ ueritas ſed connexi po= tius forma indicetur. de qua ibi nulla apud Ariſto= telẽ quæſtio,neque quod pleriq; conditionẽ reijciant. Sed quoniam et poteſt habere aliquod opus propriũ, ita corpori ipſa in coniunctione iugatum, ut diſcerni non queat ex actione ipſa & ex affectu, qui prodeat ab utroque,& quoniã multi quod attinet ad ſecundũ affirmant ſine phãtaſmate aĩam poſſe intelligere, q̃q nec ſemper nec omnibus hominibus id contingat Sunt enim qui initio id uelint tribuere,ſunt qui aſſuetis cõ templationi, & multa experientia ſupra uulgus in= ter intelligendum ſublatis,tam & ſi nequit id propte rea diſcernicido aliquo ſignari in uniuerſum: quan= doquidem id munus ſit paucorum in præſenti rerũ ſtatu,omnium uero cum à corpore ſeparata mẽs fue rit,qua de re in progreſſu plura, quod ſi quæratur

Authoris ſolutiones ĩter quos ꝓpria col locatur.

exemplum clarius experimentum afferri poteſt eo-rum qui ita affirmant: an uero proprio experimento affirment, an alieno & ab ipſis opus eſſet percunctati. Certe magni in peripatetica familia uiri, ut apud Auerroem, Auicennam, Albertum *percipere datur, ſine obiecto corporeo intelligere animam quandoq; poſſe decreuerunt, Quæ etiam ſi non intelligeret obiecto corporeo extrinſecus hauſto: propterea non diceretur ocioſa apud eos qui congenitas in ea ſpecies aſſeuerant, & apud illos qui delineatas affirmant à quibus etiã dici quiret, quod ei ſeparatæ proprium eſt, ut fiat communis corpori, cui etiam uitã, quam corpus per ſe ſe non habet, ipſa largitur.* R*etinebit igitur quod ſuum eſt, hoc eſt intelligere. vnde etiam fruſtra uidetur allata diſtinctio, ſeparationis realis & formalis, quarum hæc poßibili, illa agenti intellectui tribuatur, quoniã & poßibilis eſt ſeparatus a corpore, modo qui ſupra monſtratus & late declaratus in digreſſiõe de natura ipſius intellectus poteſtatis.* V*erum ſi malumus, ut ex ea hypotheſi pendeat queſtionis tam euentilatæ momentũ & anſa præbeatur, aut immortalitatis aut mortalitatis aſſerendæ.* A*ge iam ipſum proprium, ipſum ſeparabile ſeorſum examinemus.* A*c mihi quidem uiſum eſt à* Latinis *&* Arabibus, *ut græcos taceamus non fuiſſe allata omnia operis animæ proprij ſignificata, nec factam mentionem eius proprietatis qua colligi ſeparatio poßit, & cuius notionem hauſerit* Ariſto*teles: ſi recte illũ ſenſiſſe exiſtimemus.* E*ſt enim præter omnes illos ſignificatus qui ſupra ſunt allati, aſſe*

Auerrois
Auicenna.
Albertus.

De pprio & ſeparabili.

renda proprietas animæ, quæ ex eius natura profluit, qua imis ſummisq; communicat. Cuius capiendæ proprietatis, ſupra non nihil anſæ præſtitimus, non quidē ut ea ſemita ſiue ſimpliciter, ſiue quoquomodo aperiremus iter immortalitatis: ſed quatenus oſtenderemus ea quæ ipſi tribui ſolent, eminenti quodam modo in ipſa ita claudi, ut nihilominus uere & proprie ſit immortalis, q̃q̃ in corpore mortali quæpiam exerceat munia. Eſt igitur iſthæc proprietas ipſi animæ humanæ, ut ſic dixerim, tam peculiaris ut cæteris non competat rebus ſiue inferioribus ſiue ſuperioribus. Nam ut ipſa anima à qua proprietas flu t ulli rei, quæ non ſit humana anima æquari nequit, ſic nec eius proprietas, ullis quæ de rebus alijs manant proprietatibus omnino componi aptariq́; poterit. Et quidem triplici conditione reditur, nanque & receptione, & actione, & agendi modo ab alijs omnibus dirimitur atque ſecernitur. Nam ſi fiat mentio conditionis eius: quæ ad receptionem pertinet, anima ſuſcipiendo omnia quodam modo eſt omnia: ex intellectu enim & re intellectili fieri unum dicitur, & ita etiam intellectus proprio ſibi & mirabili modo fit cognitus, quantum uero ad actionem ſpectat lumen intellectus abſtrahit, & illuminat, efficitq́;, ut qui potentiæ intellectus dicitur, recipere poſſit omnia. Quantum autem pertinet ad agendi modum, non eſt addictus organo, qui & ſi corporei obiecti miniſterio agit, ſine illius tamē agere poteſt adminiculo, uti apud græcorum multos, apud Arabes aliquos, apud Magnū quoq; Albertū,

Driplex aīæ conditio peculiaris.

uti

uti diximus, percipi põt. Nam alij quidem phantaſiã ſummo illo initio, ut anima ſubſtantia eſt quædam in tellectilis, nõ ut aĩa eſt, alij poſtq̃ oĩa nouerit, dicunt non eſſe neceſſariã. Alij dum diſcit tantũ opportunã rentur. Alij in rebus tantũ naturalibus dignoſcendis. Alij nõ per ſe ſed ex accidẽti cõiuncti corporis. Imaginantur .n. quidnã ſit illi ſuapte natura propriũ, cõ iunctione ſequeſtrata, & ipſa poſtea in cõiunctione grados quoſdã diſtractos aĩo uoluunt, ut ad ſummũ cũ puenerit cognitionis, eã ſuperiori intellectui ſine ullo phãtaſmate copulẽt, qui q̃q̃ nõ probẽtur hoc loco à nobis, tamẽ Ariſtotelis ſeſe dicũt ſequi ſententiã ideoq; illos aduerſus aſſertores mortalitatis adduximus. Sed ad opus ipſi propriũ aĩæ intellectrici, & multiplici p̃ditũ cõditione redeamus: Eo opere ipſa reponitur in altisſimo rerũ inferiorũ gradu: q̃nquidẽ ex eis actionibus operationibusue, indicatur natura uidelicet eius ipſius, à qua dimanãt, ſicuti effectus propriã à qua fluit atq; deriuatur cauſã manifeſtat. Modus aũt operãdi (loquar Pariſienſiũ ritu) cũ inferat modũ eſſẽdi, & cũ ſublimior ſit ille operationis modus de quo ſumus locuti, & corporeis formis oĩbus præcellẽter emineat: ſublimiorẽ quoq; eſſe aĩam ipſam colligere oportet: cuius illæ ſint actiões: adeo que nõ à corpore ſolũ, & cõmunibus ei cũ corpore affectionibus & opibus, q̃bus etiã ſtirpibus: brutiſq; cõmunicat, ſepari illã ſit cõſentaneũ, ſed ſpecie ab oĩ alia ĩferiori q̃ cũ corpe ĩterit natura, & corpori ꝓr ſus eſſe ſupſtitẽ. Eſt & alia ſiue prietas ſiue ꝓprietatis cõditio quaui intellectus ſeparatur nõ à maiori

Quibus modis intelligẽtiſit imago neceſſaria apud uarios uaria ſententia.

tudine & loco, ſed à corporeis affectionibus et uiribus, quæ mediæ quodã mõ ſunt inter corpus & animã, ut hinc quod argumẽta mortalitatis aſſertores traxerũt, ex hoc aĩæ opere, tanq̃ ex Ariſtotelea *pharetra, ut inſtar telorũ in aduerſarios iaculẽtur, tot ſanè in eoſdẽ retorſerimus, multiplici aĩæ declarato opere.* Nec *mihi quoque obtũdere ullo pacto acumina ti cuiuſdã teli aciẽ uidetur illa repulſio, à ſpheræ cõditione mutuata, illius inq̃ teli nõ eſſe mixtũ ĩtellectũ corpori, quoniã & nõ miſcetur & intelligit, reſpondent nõ ſequi nõ eſſe mixtũ, etiã ſi nõ miſceatur ſecundũ eſſentiã, & ſecũdũ formã: atque ut illi dicũt (liceat mihi eorũ uti uerbis) quidditatiue & perfectiue: cũ tñ eſſe poſsit, ut ſolũ miſceatur & exiſtat in corpore & corporaliter, exẽplo ſpheræ, quæ tãetſi nõ ẽ phyſica, nihilominus nõ exiſtit niſi in phyſicis.* Nõ *obtundit inq̃ eius aciẽ, ſiquidẽ exẽplũ illud ſpheræ, præter q̃ quod nõ quadrat oĩno rei cui ẽ aptatũ.* Illud. *n. mathematicũ hoc naturale: nõ eſt etiã allatũ niſi gratia operationis, nõ quæ ſit aĩæ propria, ſed aĩæ ipſi, corporiq; cõmunis quæ quidẽ operatio corpus afficit, et afformat.* Deinde *nõ põt ullo mõ exẽplũ cõgruere quoniã talis formæ .i. humanæ aĩæ, talis eſt natura, ut põteſtatẽ præcipuã obtineat quæ ſuperet munus oẽ corporeũ, & cũ actu ſit, ſit etiã cũ poteſtate.* Hinc *illud* Theophraſti *abſurdũ eſſe exiſtimare, ut intellectus qui eſt potẽtia, actu nihil ſit q̃q̃quidẽ poſitus in actu alter quidã eſt, & rurſum alter qñ ſe ipſum non intelligit.* Diuerſo *.n. mõ cõſiderari & intellectus et aĩa põt: & diuerſe quoq; & affirmari quippiam de*

Contra reſponſionẽ ſumptã ab exemplo ſpheræ.

Teophra

ipſis, & negari: propterea, Lydus eius expoſitor, pmutatiõe accipiẽdũ docet id, quod proferri ſolet, animã & actu eſſe, & in potẽtia & huc forte conuenire poteſt, quod nõnulli cõtendũt, cõſiderari poſſe animã diuerſe, ut aĩa eſt, ut ſubſtãtia intellectilis, eiq; ineſſe proprietatẽ hãc diuerſa ex cõſideratione: ut ꝙ aĩæ tribui non poſſe uidetur, ut aĩa eſt, tribui certe poſſit ut eſt ſubſtãtia intellectilis, exẽplumq; illud ſpheræ huc aptant, qñ rectũ quod à ſphæra tãgitur ut iunctum eſt materiæ, nõ tangitur ut ſeparatũ, quoniã rectitudo ipſa cogitata tũ quidẽ eſt non immerſa materiæ, propriũ itaque maximeque peculiare, animæ humanæ iter formas quæ corporibus caducis cõiũctæ ſunt, cõiungi corpori ut forma: & præterea ei nõ immergi, eo mõ quo eæ mergũtur animæ quæ intellectu præditæ nõ ſunt. Itẽque propriũ ei ut actione polleat ea quæ corporea nõ ſit, ſed ab oĩ corporeo munere ſeparetur ex ipſa potẽtia dimanãs, ut intelligens ſubſtãtia, quare nec ſimilitudo, nec cõparatio ulla quadrabit, rerũ aliarũ, maxime inferiorũ, ad aĩæ naturã declarandã allata. Si.n. proprietatẽ hanc (ita dixerim) maxime propriã, eſſe formã corporis, & corporeo in propria functione organo nõ egere, nec à ſubiecto dependere corpore, ſatis animaduertiſſent, non tã multa in philoſophia monſtra ſpectaremus, primæ tantũmodo particulæ conſideratio ſeor

Priſc. Lydus.

Occaſio et

Occaſio erroris Auerroys. autumarit intellectum poteſtatis, ita eum pleriquè ſine controuerſia fatentur ſenſiſſe, utranque qui ſimul percipit iungitque, propriũ animæ munus, & immortalitatẽ facile conſequitur. Ac, ut mihi quidẽ. uidetur, conſideranti diuerſa hominũ ingenia, facile eſt inuenire, quos unam in rẽ ita deprehendas propenſos, ut ad alia ſiue ſeorſum, ſiue ſimul contẽplanda, uel rudes habeantur uel negligentes, deprehẽdas & alios qui cum nõ aſſueuerint rebus intelleƈtilibus uix à corporeis rebus auellas, propterea ualidiſſimas uel de animæ immortalitate, uel de quapiam re ſublimi, & à corporis ſeiuncta nexu, rationes nõ admittant, quibus actutum acquieſcant ij, quos conſtat in contemplandis rebus intelleƈtilibus eſſe uerſatos.

De ꝓprietate humani ingenij.

Quæ uero argumẽta ex ipſa ſeparatione traxerũt, quamquam repulſa uideri queunt, dum de proprio animæ opere eoq; multiplici, ſiue prædito multiplici conditione egimus, tamen ſi placet ualidius etiam retorqueamus. Sunt apud Peripateticos de ſeparationis modo uaria placita, quoniam alij rationalem animam a ſenſibili ſeparari uelint quæ corrumpatur ipſa: ut qui plures commenti ſunt animas: quod uiſus eſt uelle Plato, & inter Peripateticorum ſectatores nonnulli etiã ex noſtris Theologis. Alii ita ſeparari ut inferiores nõ aboleãtur uires, ſed quodã quaſi modo ſopiãtur ut q̃ ſint ſine corpore ab actionibus immunes, Themiſtius ſeparatũ etiã agentẽ & potentiæ intellectũ uoluit ita, ut hunc luci, illum ſoli cõtulerit, Atq; Simplicius intellectũ participatũ etiã ſeiunctũ retur, multoq; magis eũ q participatus nõ

De ſeparationis mõ uaria. unde & reſpõſiones, & repulſiones aduerſariorũ ĩmortalitatis colliguntur

Plures opiniões de ſeparatione.

ſit, abiunctũ arbitratur: Alij ſeparationẽ capiũt agẽtis intellectus ipſam ad phãtaſmata relationẽ nouã: qua in uniuerſum quodã modo res materiales comprehendãtur, quo fieri uolũt uti agẽs intellectus eas dicatur abſtrahere q̃q̃ re ipſa quicq̃ proprie nolunt effici. Alij uel ſeparationẽ, uel elõgationẽ uel abſentiã q̃dã imaginantur, qua nõ ſeparetur, quidẽ aĩa: ſed nihilominus eo dicatur ſeparari, ꝗ a materia nõ pẽdeat quatenus exiſtit, atq; hoc modo ꝑpetuũ a corruptibili diſpeſci dirimiq; decernunt, qua in re etiã bifariã nõnulli ſeiunguntur. Sunt.n. qui animã, ita ſeparari uolũt, ſunt qui actionẽ malũt intellectus ab ipſo phãtaſmate: quod exiſtimaſſe Auerroẽ quidã putãt. Abſtractionis quoq; et ſeparationis eius meminit Lydus ex dogmate Theophraſti, qua potentia intellectrix res materiales agnoſcit. Vt.n. ſunt aliqua ſuapte natura ſeparata a materia. Alia uero noſtra tãtũ intelligẽtia ſeparantur, ut quæ abſtractione ipſa ꝑcipiuntur, ſic & intelligi utraque uoluit. Alia quidẽ ut re uera ſeiuncta. Alia ut ipſa tantũ mõ cogitatione ſeparata atque ex hac ſeparatione trahi põt ingens immortalitatis argumẽtũ, utpote cũ ſeparatio minor maiori ſeparationi accepta, referatur, & q̃ dicũtur nõ re ipſa quidẽ ſed cogitatiõe ſepari in eã, quæ ſuapte natura ſunt ſeparata rite ꝑducãtur. Sic oĩa quæ a materia participatione quãdã ſunt abſtracta ſatis

iſthæc poßit abiunctio & colligi & cõprobari. Sunt & qui ſeparationẽ depẽdẽtiæ citẽt aduerſus eã quæ ab illis, actuationis, dicitur, allatã, ſed et poſſem alios ſeparationis modos adducere ex Platonicis, ſi uellẽ egredi Lycæũ: in quo deambulãs, tot iã tela collecta ſunt ab aduerſarijs miſſa, ut eorũ met telis ipſi profligari queãt. Nã ſi ſeparatã multis animã modis, cõditionibuſque maxime illi peculiaribus aduertãt, cogẽtur cõ unctioni quã habet cũ corpore nõ inhærere, ſed ſuſpicere & admirari ipſius aiæ pcellẽtia, ſuapte natura ante ipſum corporis nexũ ppẽſam: qua pxime accedit ad mẽtes ab oĩ materia prſus abiũctas, & tanq̃ in collimitio ſuperæ & inferæ, terreſtris et cœleſtis coniũctæ et abiũctæ naturæ collocatur. Qui.n. cõtendunt proprietatẽ operãdi, abſque organo, non inferre (ut ab eorũ uerbis non abhorreã) ſeparabilitatẽ: aduertãt primũ ex ijs quæ diximus ſe ſe facillime cõfutari. Deinde cõſiderent ab Auerroe multis in locis & phyſicæ auſculationis, & Secũdi de cœlo Libri, et xii Metaphyſicorũ, & operis de ſubſtãtia orbis affirmari animã, qua decreuit informari cœlũ, intellectricẽ eſſe, ſeparabilẽ eſſe. Immo ſeparatam, nec organo addictã, cũ tamen ex ea, & orbiculari corpore cœleſti ipſius Auerroys ſententia cõſtituatur, & cõponatur cœlũ. Iſthæc aũt explicare minuatim nolo, ſed tantũ principalia ſignare loca. Doctis.n. & in peripatetica philoſophia maxime uerſatis, nõ uulgo nõ triuialibus philoſophis, & ijs qui uerba quo minus intellecta ſunt, eo magis admirãtur, hæc ſcribimus. Iã apud illos, uti exiſtimo facile fuerit pſpicere:

Argumentũ aduerſæ partis. Prima cõfutatio ex præcedẽtibus. Secunda confutatio ex Auerroe.

Solutio multiplex argumẽti in obiecto corporeo fundati.

et illud argumentũ nihil habere uiriũ. Si obiectũ cor poreũ hoc eſt phantaſma nõ a⁀ ijcitur: uiã nõ relinqui ex rebus ſenſibilibus probãdi ſeparatũ eſſe intellectum. Eliſum eſt.n.ipſum argumentũ ex eminẽtia illa et multiplici pcellẽtia intellectricis aĩæ. Reiectũque multis modis apud eos philoſophos quibus depoſitũ eſt in albo Iudicis, nõ ſemp eſſe neceſſariũ, ut qui intelligit imaginetur, ſiue ſpeculetur phantaſmata, ut ſupra ſatis eſt indicatũ. Retuſum etiã a uetuſtis & nobiliſsimis illis Peripateticis, Theophraſto, Hãmonio, cæteris, qui concreatas in aĩa ſpecies admiſere. Fruſtra quoque cogitata illa diſtinctio ſeparationis inter utrũque intellectũ, quoniam illũ qui agens dicitur particula iſthæc VERE dire merit, & ſeiunxerit ab eo, qui potentiæ ſuſcepit appellationẽ, particula enim illa VERE expreſſa nõ inuenitur in græco cõtextu: quæ ſi etiã inueniretur, nõ ſignificaret ſeparatũ eſſe (ut eorũ loquendi more utar) in eſſendo. Arbitrariũ hoc expoſitionis genus et uiolentũ. Separatus enim eſt intellectus apud bonos Peripateticos ſeparata aĩa, nec ſecundũ ſubſtantiã depẽdet a corpore: q̃q̃ illud informat: nec ab ipſis actus corporis dicitur ipſe intellectus proprie licet ſit aĩæ pars uel potentia: Vnde a quibuſdã & ſeparatio depẽtiæ, et ſeparatio cuius ſupra me minimus actuationis (ita n. loquũtur) inuecta eſt, quarũ hæc intellectui, illa aĩæ, cuius

Quòd ex cõtextu nunc ſyncero pbita ſit alicuius erroris occaſio.

gis facit intellectũ agentẽ, eo qui poteſtatis dicitur, hunc tamen inſtar lucis, illũ ſolis inſtar ſeparatũ arbitratur. Ergo *ſi & proprietas animæ, et ſeparatio, & cætera quæ ſupra citata ſunt, ſeorſum conſiderentur: tum ſimul perpendantur & cõferantur inuicẽ, non modo ſoluta eſſe ſed reiecta, ſed in aduerſarios immortalitatis retorta, quotquot ad hãc diẽ uidimus argumẽta: conſtare facile poterit.* Nã *qui nulla aĩæ ſeparatiõe, qui nullo actu, officioue, aut actione, quæ propria eſſet aĩæ, mortalitatẽ eius inuehere conabãtur, ex ijs quæ digrediendo diſſeruimus facile uicti, ſeparationẽ multiplicem, multiplexque ipſius opus, maximeque proprium fatebuntur, niſi maxima teneantur peruicacia: ex quibus ſeparationibus proprietatibuſque, illa ipſa immortalitas & aſſeritur, & celebratur.* Sed *quoniam tot iam ſunt allata, ut fortaſſe uidear tranſgreſſus legem digreſſionis, ad contextus* Ariſtotelei *declarationem redeundum eſt.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE